



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Annotationes Ioh. Cochlaei in prec[a]edentem epistolam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

ANNOTATIONES IOH.
Cochlai in præcedentem epistolam.

SI Lutherus omnium nostrum (quod Deus a-
uertat) pater dilectissimus est. Ergo defun-
cto iam illo orphani sumus. Vrunque contra
Euangelium est. Nam Matth. 23. ait ipse Domi-
nus. Et patre nolite vocare vobis super terram:
Vnus est enim pater vester qui in caelis est. Et
Ioha. 14. Non relinquam vos orphanos, veni-
am ad vos.

2. Sancti patres non leguntur singulis diebus
prandium & cœnam sumpsisse. Vt est videre
tum in Ecclesiastica historia, tum in libris Cassia-
ni, & in Vitis patrum. In Augustino de moribus
Ecclesiæ lib. 2. capite 31. In Hieronymo contra
Iouinianum. Et Paulinus testatur Sanctum Am-
brofium, quotidiano ieiunio macerasse corpus,
cui prandendi consuetudo nunquam fuerit, nisi
die Sabbato & Dominico vel in natalitiis Mar-
tyrii. Hinc apparet impudens Melacthonis mēda-
ciū de Luthero suo in præfatione secundi Tomi
eius. Vidi (inquit cōtinuis) Quatuor diebus, cum
quidē recte valeret, prorsus nihil edentē aut bi-
bentē. Vdī sæpe alias multis diebus quotidie exi-
guo pane & halece contentum esse. Hic ve-
ro neque à prandio neque a cœna etiam vltimo
vitæ suæ die abstinuisse dicitur. Vbi & sin-
gulis diebus vtraq; refectioe largiter vsus fuis-
se fertur.

3. Quam

Quā lōge dispar est hui⁹ Martini Saxonis vita
 S. Martini, quā descripsit Sulpitius Seuer⁹.

4. Multas & iustas habet Concilium indignan-
 di causas, cōtra obstinatum hunc Ecclesie fidei
 que Catholicæ desertorem, & hostem, cuius me-
 moriam perpetuæ tradet maledictioni, haud se-
 cus atque Arrii & Vuicleui, iuxta illud Psalm.
 108. In memoriam redeat iniquitas patrum eius
 in conspectu domini.

5. Quam delicate vixit hic nouus Saxonum A-
 postolus & Euangelista. Nunquid ita vixit Pe-
 trus aut Paulus? Nunquid Ambrosius aut Hie-
 ronymus? Nunquid Agnes aut Cecilia? Nequa
 quam, legerūt enim talia displicuisse Deo in Ez-
 echia Rege, quando ea ostēdit nunciis Regis Ba-
 bylonis 4. Regis. 20. Et Esa. 39. itaque taxatur ta-
 lia passim in scripturis, & ita concludit Job c.
 21. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad in-
 fetna descendunt.

6. Lucæ 12. Dum quidam diceret Domino. Ma-
 gister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæredi-
 tatem, respondit ei Iesus. Homo quis me consti-
 tuit iudicem aut diuisorem super vos? Vbi ait S.
 Ambro. Non immerito refutatur hic frater, qui
 dispēsatorem cælestiū gestiebat corruptibilibus
 occupare. Et clara sunt Apostoli verba 2. Tī, 2
 nemo militās Deo, iplicat se negociis secularib⁹
 vt ei placeat cui se probauit.

7. Parū decore admiscuisse & igelisse vide-
 tur se nouus, hic Euāgelista secularib⁹ negociis
 & litibus, quem rogarunt & admouerunt illi

Q q iij

Laici, ut ab huiusmodi consultationibus absterer. Debuisset enim ipse potius per sese attendere ad illud Apostoli. i. Cor. 6. Indigni estis qui de minimis iudicatis. Sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.

10. Qui missam aboleuit & horas Canonicas, quantum in ipso fuit, hic laudatur, quod vno die (qui ei ultimus vitæ fuit, de fenestra prospiciens oravit tam sedulo, ut a proxime astantibus audiri potuerit, ita tamen, ut semper lætus fuerit, absque lachrymis & gemitu, Longe alienus ab illo Davidis Psal. 37. Rugiebam a gemitu cordis mei. Et Psal. 101. Poculum meum cum fletu miscebam. Et Psalmo. 105. Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus eius, steterit in contractione in conspectu eius.

11. Nemo maiore inter Comites illos de Mansfeld discordiam excitavit, quam fecit ipse Lutherus per nouum Evangelium suum: quando in eadem arce & in eodem templo & sacello tot annis multa fuit diuersitas non solum in sacris, sed etiam in vita & moribus, dum alii Lutherani fierent, alii Catholici permanerent.

12. Si gustasset gaudia Pauli heremita, Antonij, Macarii & tot Millium Monachorum & Anachoritarum, atque sacrarum Virginum & Carustanorum, longe aliter sensisset. Illorum enim gaudium erat in spiritu sancto Ro. 14. Nam fructus spiritus est charitas, gaudium & c. Gal. 5. At animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei
1. Cor.

Cor. 2. Totus enim in carnis desideria deflexit
Cuius Deus venter & gloria in confessione, qui
terrena sapuit, & finis eius interitus, Iusto Dei
iudicio fuit. Philip. 3.

13. Excelluit ergo Iouinianum Lutherus: Ille
enim etsi Monialibus coniugia scelerate permit-
teret. Nullam tamen ipse duxit. Hic autē non so-
lam duxit, sed & filios duxit. Hic autem
non solum duxit, sed & filios ex ea procreauit.
Qui nouo peruersitatis iure nunc liberi vocan-
tur, cum sint iure antiquo & legum & Cano-
num, illegitimi spurii.

14. Vere habuit male, immo pessime, quem
longe grauius Cōscientiæ accusatio, quā pecto-
ris dolor pressit, dum timeret de manibus eius
requiri tot milliū animarum interitum sempiter-
num & occisorum agricolarū sanguinem,
quos & in furorem rebellionis egit, & furentes
occidi iussit. Ideo non potuit cum Paulo vere
dicere, Cupio dissolui & esse cū Christo Phi. 1.

15. Scriptum est Psalm. 108. Et oratio eius fiat
in peccatum. Peccat enim & falsa iactātia & ini-
qua calumnia. Veram enim de Christo Ecclesie
doctrinam oppugnauit, & illum in sacrificio
Missæ perfide abnegauit, atque falsam de sola
fide securitatem docuit.

16. Sic & alii hæretici dicere solent, sed fru-
stra, Quia Cyprianus ait. Non potest Deū habe-
re patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. Et
Paulus, si habuero omnem fidem, charitatē autē
non habuero, nihil sum. Iam cōstat, extra Eccle

fiæ vnitatem in sectis & diuisionibus charitatē non esse, frustra igitur commendatur Deo spiritus grauiſſimo schismatis crimine pollutus, qui propria malitia redemptione Christi sese indignum fecit. Nec vlla pœnitentiæ signa dedit, quod vllum haberet in exitu suo de schismate & hæresi sui dolorem.

17. Longe fortius clariuſque fatentur Christum Anabaptiſtę quam fecit hic Lutherus. Illi enim voluntaria propter Christum dicunt se supplicia mortemque ſuſcipere, Lutherus autem mortem maluiſſet euitare, domumque ad inceſtam vxorem redire. Si ergo Anabaptiſtis non prodeſt ad ſalutem ſua de Christo confeſſio, quia in hæreſi ſunt & ſchiſmate, Neque Luthero prodeſſe potuit.

18. Conciones illæ de hæreſi illum conuincunt coram iudice, tantum abeſt, vt ei ad ſalutem proſint. Vana item eſt abſolutio, extra Eccleſiã, vbi clauſes Petro datę non ſunt, nec vlla abſoluendi poteſtas. Et venerabile ſacramentũ quicũque in ſchiſmate accipit nõ in ſalutẽ ſed iudiciũ accipit, quia accipit teſtimonium contra ſe, vt ait

Auguſtinus, quia vnitatis eſt ſacramentum, non diuifionis, quia vnum corpus

ſumus omes qui denuo pa-

ne digne participa-

mus. I. Cor.

10.

FINIS.